



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 79. Conditiones ab Oratoribus Gallis Gregorio propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. LXXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1407.*Conditiones ab Oratoribus Gallis
Gregorio propositæ.*

Cuncta hæc Gregorii argumenta facili negotio diluebant Legati, eidem e-
 contra exponentes, a Buccicaldo Belli du-
 ce, ac Genuensium Præfecto, atque a
 Reipublicæ Senioribus quinque triremes,
 quibus veheretur, armatas fuisse, necnon
 urbes, territoria, arces, & Genuensium,
 ac Vaonensium castella cum plena aucto-
 ritate,

*Monash.
S. Dionys.
l. 27. c. 13.
§ 14.*

*locum declinavit, utpote sibi ob gravissimas
 causas merito suspectum. Nam insidias sibi a
 Petro de Luna paratas, & Ladislai Romanam
 invadendi conatus nequaquam inanem timorem,
 minus vero fallacia fuisse effugia, eventus pro-
 bavit; quippe Petrus Buccicaldus classe, ac Ge-
 nuensium ope armatus inermem Pontificem, ac
 Romanam ditionem invadere attentavit. La-
 dislaus quoque, dum Gregorius vix Roma pro
 colloquio Savonæ celebrando excesserat, copia
 immisit, & urbis mœnia noctu transcendit, Picē
 nam Provinciam, Asculum, & Firmum in suam
 redegit potestatem. Tandem omnem ambitionis
 suspicionem, aut maculam liberrima Pontificatus
 abdicatione in Concilio Constantiensi facta plene
 eluit Gregorius, necnon in Epistolis a se in hanc
 rem scriptis, quæ videri possunt apud Odoricum
 Raynaldum ad hunc annum.*

Sæcul. XV
A. C. 1407.

ritate, donec absolutum fuerit colloquium, Galliarum Regis nomine utriusque Competitoris manibus esse consignandas. Insuper Gregorio, ejus æmulo, cunctisque eorum sequacibus omnimodam pollicentur securitatem, opem, atque obedientiam tam a Vasallis, & utriusque hujus Civitatis subditis, & ad illas attinentibus, quam ab ipsis præstantam Venetis, quibuscum de hoc ipso articulo conveniendi provinciam sibi commissam asserabant. Tandem ipsi quoque ex parte Regis sex triremes offerebant, affirmantes, has regio ære instruendas, & per solidum semestre sustentandas; imo Gregorio, ut suæ magis provifum esset securitati, plenam suo milite hæc naves muniendi fieri potestatem, & a supremo triremium Præfecto Pontifici, omnibusque ipsi subditis, consentiente tamen Genuæ Governatore, fidelitatis sacramentum exsolvendum: atque eidem ex nobilioribus Genuæ Viris unum, & ex Primoribus Civitatis Savonensis quinquaginta in obsides tradendos, omnesque triremium Navarchos pariter fidelitatis juramento, & oppignoratis omnibus eorum bonis sese eidem obstricturos, item Regis Oratores semetipsos potius obsides daturus, quam inde discessuros re omnino infecta. Attamen adeo generosis Legatorum oblatis Gregorii animus nullate-

nullatenus movebatur, nec sese flecti per- Sæcul. XV.
 mittebat. Ultimatum ejus erat conclu- A. C. 1407.
 sum, se hac de re cum suo æmulo pro-
 xime collaturum,

§. LXXX.

*Legati ad Senatus Romani alloquium
admissi.*

Quia vero tunc temporis Romanæ ur- Monach.
 bis Regimen fuerat penes Senato- S. Dionys.
 res, Conservatores, & Vexiliferos, seu ci- l. 27. p. 605.
 vitatis Regionum Capitaneos, Legati
 priusquam discederent, cunctis urbanita-
 tis officia exsolvere, suarum partium esse
 judicarunt, quocirca ad alloquium ad-
 mitti postulantes, secunda Julii die per-
 benigne auditi sunt. Præcipua eorum
 intentio eo collimabat, ut Senatum cer-
 tiorem redderent, quanto studio Gal-
 liarum Rex unionem Ecclesiæ promove-
 re, ac Gregorium ad solvendam promissorum
 fidem inducere conatus esset; Postmodum
 ibidem congregatos obtestantur, ut & ipsi
 proprii honoris, atque utilitatis suæ memores,
 ad flectendum Gregorii animum pro suscipiendo
 Savonensi itinere cum illis sua quoque jun-
 gere velint studia, asseverantes, Galliarum
 Regem nequidem cogitasse de Curia Roma-
 na Avenionem attrahenda, Regem po-
 tius